Cwierzowicz Franc. Ant. Quaestio logica de termino.

17 Kwiet 1765

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

QUÆSTIO LOGICA DE TERMINO;

Ex Libro 1mo Priorum Aristotelis, Cap. 1mo Text. 6to & 7mo. item Libro Perihermenias

DEPROMPTA,

Sub Felicissimo Regimine

Magnifici Perillustris & Admodùm Reverendi Domini

D. M. CASIMIRI JARMUNDOWICZ

Utriusquè Juris DOCTORIS & PROFESSORIS, Facultatis Juridicæ DECANI, Ecclesiarum; Collegiatæ Sanctorum Omnium Cracoviæ CUSTODIS, Parochialis in Luborzyca CURATI, Contubernii Starnigeliani & Alumnatûs Rosczeviani PROVISORIS, Studii Generalis Almæ Universitatis Cracoviensis Vigilantissimi

RECTORIS,

à

M. FRANCISCO ANTONIO CWIERZOWICZ

Philosophiæ Doctore, in Classibus Novodvorscianis Dialectices Professore, Scholæ ad Collegiatam S. Floriani Seniore, S. R. M. S.

Pro Loco in Collegio Minori obtinendo, ad publicè disputandum, In Lectorio Clarissimorum Dominorum Theologorum

PROPOSITA.

Annô: Quô in modo Figuræ Crucis;
ConCLVsVM est De nobIs.
Aprilis Mensis: ferIa seXta fVIt.

CRACOVIÆ In Typog: Seminarii Academ: Diœcesani.



Præſidi vitæ noſtræ (a)
Benedictæ in Æternum
Primogenitæ ante omnem Creaturam
Sacratiſſimæ VERBI ÆTERNI MATRI.
Dignæ Digni, Immaculatæ Sancti, Unicæ Unici;
Termino Conſiliorum DEI.
Argumento certo Gratiæ Domini, (b)
nec in materia nec in forma quia in Adam non peccanti. (c)
Termino diſtinctionis primæ poſt DEUM,
Cujus primum ſtatim in Utero exortum à reliquis Gratia diſtinxit,
Summo Prædicamento: Cui ſubjicitur omne quid quid infra DEUM eſt.
Nobiliſſimo Mentis Divinæ Conceptui,
Fæminæ Eloquentiſſimæ
Quæ Patrem Æternum loquentem, & Verbum iterum vocale fecit.
Poſitioni in Gratia perpetuæ,
adhuc ante abyſſos, & antequam terra fieret
firmiſſimæ.
In componendo; admirabili illo duarum in una Perſona naturarum Diſticho,
regioni potiſſimæ.
Carmini: in Capite Libri indelebiliter ſcripto, & illi ſine væ.
Conſtructioni Ipſius DEI,
Quam Ipſe ſibi DEUS (de qua naſceretur) fecit. (d)
Libro Incomprehenſo,
abſqué ſolæciſmo culpæ, ſine barbariſmo veniæ, ſine appendice erroris,
à menda originali libero.
Prænobili Adverbio
ad reatum originalis peccati nusquam inflexo.
Collegio Sanctitatis,
Artium Univerſitati. (e)
Scientiæ Scientiarum (f)
Cui ſatis erat neſcire peccare.
Speculo ſine macula puriſſimo, liliorumqué Valli amoeniſſimæ. (g)
Mundiſſimo tetius Sacroſanctæ TRINITATIS Sacrario.
Unico errantium Sideri,
Studentium Patronæ, Tyronum Aſylo,
Divinori Magiſtræ Juventutis, (h)
Pulchræ ad intuendum! amabili ad contemplandum! delectabili ad amandum!
MaLI EVæ nesCIæ, DeI GenItrICI,
Semper Auguſtæ & Immaculatæ Virgini
abſqué macula originali Conceptæ,
in Academico Scholarum ſub titulo ſuæ Archi confraternitatis erecto., Pietatis Oratorio
Gratiis & miraculis Celeberrimæ.
Illuſtribus plantis, & auguſtis Ancillæ pedibus
✠ caligantem ex nomine, ancillantis Scientiæ
Theoricam de Termino Logico Quæſtionem,
circa terminum ſexennii Profeſſionis ſuæ Novodvorſcianæ
in perennem Hiperduliæ Cultum
profundiſſimò devotionis Votò
ſubſcribit, ſubſternit,
D. D. D.
A. O. præfata Archi-confraternitatis Notarius.

a) D. Gregor. Nazianz. (b) S. Germ. orat. in Præſen. B. U. (c) Jacobus Monachus orat: de Nat: B. U. (d) Auguſt: Tract: de 5. hæres (e) Petr. Chrys. ſer. 186. (f) Alb. Mag. ſupra miſſus ẽ (g) Gertrudis. (h) Wegrzynowius in Syllabo Mariano.
✠ Logica. Anagrã. caligo.

QUÆSTIO LOGICA.

U. Terminus in quem resolvitur Propositio: dicens formaliter rationem partis in ordine ad Enuntiationem: in ordine autem ad construendum Syllogismum, non tantùm in terminando resolutionem, sed etiam compositionem Syllogismi & Propositionis, habens quidditatem; secundùm se consideratus, essentialiter dividatur in prædicatum & subjectum, nec ne?

CONCLUSIO I.

Terminus est in quem resolvitur Propositio.

COROLLARIA.

I. Philosophus Librô 1mô Priorum non definivit generaliter omnem Terminum, ex quo potest constare Propositio, ùt est Enuntiatio, sed ùt præcisè deservit ad construendum ordinem Syllogisticum.

II. Terminus ùt definitum in ista definitione non accipitur pro quavis voce significante, sed pro eo quod actu terminat Propositionem, qualia sunt subiectum & prædicatum.

III. Resolutio Propositionis non accipitur hic indifferenter pro quacunq; resolutione, sive in principia Materialia sive in Formalia: sed pro resolutione in Materialia tantùm.

IV. Fieri non potest, ut ulteriùs procedat resolutio Logica extra Terminum.

V. Licèt Terminus sit principium & pars Propositionis; tamen hic convenienter à Philosopho definitus est post Propositionem.

CONCLUSIO II.

Terminus in ordine ad Enuntiationem dicit formaliter rationem partis.

COROLLARIA.

I. Terminus ùt Enuntiativus, dicit ordinem ad Propositionem non solùm ùt extremum; sed etiam secundùm rationem magis communem, quæ comprehendat sub se Nomen & Verbum & alias partes.

II. Terminus quatenus pars Enuntiationis, speciali acceptione comprehendit solùm partes principales Orationis Dialecticæ, scilicet Nomen & Verbum, ad quas aliæ reducuntur, vel istarum sunt quædam ligamenta.

III. De ratione Termini Logicalis est, ut sit vox significativa ad placitum.

IV. Voces non significativæ vel materialiter acceptæ non componunt Orationem formalem, ùt A. non est B. nisi subintelligatur vox aliqua significativa, ratione cujus fiat compositio artificiosa & formalis, ùt. litera A. non est litera B.

V. Terminus in ordine ad Enuntiationem, habet actu Essentiam Termini extra Propositionem; licèt non habeat actu exercitium terminandi vel componendi illam, non tamen extra Propositionem est prædicatum; sed tantùm prædicabile vel subjicibile.

CONCLUSIO III.

Termini in ordine ad construendum Syllogismum quidditas consistit non tantùm in terminando resolutionem, sed etiam compositionem Syllogismi & Propositionis.

COROLLARIA.

I. Aristoteles cùm per solum resolutionis officium definivit Terminum Prioristicum, non est dicendum diminutum fuisse tantopere celebrem Philosophum in explicanda Termini essentia.

II. Optima ratione Philosophus in definitione Termini Prioristici, potiùs expressit resolutionem quàm compositionem.

III. Terminus Prioristicus formaliter non respicit componere, sed inferre veritatem in Propositionibus constitutam.

IV. Licèt Termini Syllogismi non concurrant sine Verbo ad inferendam Conclusionem, tamen verbum Est. ùt copulans tantùm; non est Terminus Propositonis.

V. Dicere Terminum esse extremum Propositionis magis competit Termino in ordine ad Syllogismum, quàm ad Enuntiationem.

CONCLUSIO IV.

Terminus secundùm se consideratus essentialiter dividitur in prædicatum & subjectum.

COROLLARIA.

I. Terminus Syllogisticus inquantùm talis non dividitur essentialiter per terminationem resolutionis Prioristicæ vel Posterioristicæ.

II. Terminus in ordine ad Enuntiationem essentialiter dividitur, in Nomen & Verbum, in mentalem verò, vocalem & scriptum, tanquam in Accidens & subiecta.

III. Reliquæ Termini Divisiones, licèt dividant Terminum secundùm diversam rationem signi ex parte rei significatæ vel modi significandi, non tamen dividunt ipsam Essentialem rationem Termini ùt est pars Propositionis.

IV. Verbum semper est prædicatum Propositionis Formale, & ùt Quo: potestq; ex illo solo constare Propositio, si sit primæ vel secundæ Personæ, non perinde si tertiæ.

V. Nomen si cum Verbo Personali componit Enuntiationem, debet esse Casûs recti, si cum Impersonali, tunc casûs obliqui erit, natura Verbi sic exigente.

Hinc
Verbo InCarnato:
& SanCtæ DeI MatrI; honor, gLorIa, sIt, perennIs, sine Termino.





